



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 62. Anglorum querelæ adversus Jacobum I. Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. gentibus Franciæ & Hispaniæ Legatis
 A. C. 1609. Fœderati Ordines, necnon Mauritius
 Princeps polliciti sunt, ut in illis Bra-
 bantiæ Urbibus, ut antea, sola Catho-
 lico-Apostolico-Romana Religio con-
 servaretur, in ceteris autem omnibus
 Ordinum locis privatim, præfatæ Re-
 ligionis usus toleretur, ac permittatur.

§. LXII.

*Anglorum querelæ adversus Jaco-
 bum I. Regem.*

*Rapin Thoi-
 ras hist.
 d' angl. i. 18.* **H**aud parum displicuit Jacobo I. An-
 gliæ Regi, quod Hispaniæ Rex at-
 que Albertus Archidux firmata hac pace
 Fœderatis Ordinibus liberi ac non de-
 pendentis Status prærogativam indul-
 ferint; pessimi enim exempli rem esse
 arbitrabatur, quod subditorum rebellio
 contra legitimum suum Regem concita,
 non modo criminis impunitate, sed
 & libertatis privilegio donaretur:
 Augebat in hoc Rege dolorem ipsa An-
 glicani Regiminis norma, qua Proceri-
 bus, populisque nimiam auctoritatem
 non sine supremæ ac Regiæ potestatis
 præjudicio & discrimine tribui censebat,
 hinc data omni occasione Parlamentorum,
 ut vocant, auctoritatem immi-
 nuisse, suam vero extulisse, a non pau-
 cis arguebatur: Hujus rei specimen de-
 disse

disse referunt Historici Anglici, cum Sæc. XVII. A. C. 1609.
 hoc anno duos libros, in quibus abso-
 luta Principum Majestas stabiliri vide-
 batur, typis edendi ac divulgandi fa-
 cultatem dedisset. In horum primo,
 quem Cowellus Jurisprudentiæ civilis
 Professor sub titulo: *Interpres vulgave-*
rat, tria hæc legebantur principia. I.
 Rex nec legibus nec inaugurationis Sa-
 cramento obstringitur. II. Nec pro
 condendis legibus Parlamentum con-
 vocare tenetur, sed vi supremæ pote-
 statis solus id valet. III. Si vero pro
 imponendis tributis subditorum consen-
 sum exquirat, id gratiæ loco habeant.
 Altero libello, quem Blackwodus edi-
 derat, sequens deducebatur principium,
Normani, postquam Angliam subjugarunt,
ex Anglis effecerunt mancipia. Vulgatis
 hisce libris Senatus, qui ejusmodi præ-
 ceptis suam auctoritatem everti cogno-
 verat, horum Authores severe punire
 decreverat, Rex vero Senatus auctori-
 tatem elusus, prior horum librorum le-
 ctionem inhibuit, edito desuper diplo-
 mate Regio; cum tamen ejusmodi e-
 dicta in Anglia plerumque flocci habeantur,
 nisi illorum executionem urgere,
 Regum intersit, hinc frequentes Sena-
 torum populique indignationes audie-
 bantur; quidam enim multa a Rege abs-
 que Senatus consensu decidi quereban-
 tur,

Sæc. XVII. tur, alii iniquo ferebant animo, quod
A. C. 1609. Catholicis nimium faveret, illosque ad
 honorifica munia, imo & Regii Mini-
 sterii partes vocaret: indignabantur po-
 tissimi, quod Rex *Inquisitionis* speciem
 in regnum invehere videretur; cum e-
 nim Henricus VIII. post ejuratam fidem
 Catholicam tribunal quoddam sub no-
 mine *celsæ Commissionis* pro Religionis
 negotio erexisset, Jacobus Rex Tribu-
 nalis hujus Ministris, qui omnes ab eo
 nominati erant, negotium dabat, ut
 Puritanos, quos Rex summo odio infe-
 ctabatur, ad amplectendam Episcopa-
 lium doctrinam vi compellerent: Hi ergo
 Judices, ut Regi complacerent, eos tan-
 quam obstinatos omni severitate plecte-
 bant, cumque Puritani Hierarchicum
 Ordinem ab Ecclesia exterminare cona-
 rentur, ac Rex exinde inferret, quod
 pariter profanum Regimen Monarchi-
 cum detestarentur, hinc præfati Tribu-
 nalis Ministri non modo in eos, qui Hier-
 rarchiæ Ecclesiasticæ sese opponebant,
 sed & qui Regiis mandatis minus deser-
 ere, aut populi privilegia extollere accu-
 sabantur, severe animadvertabant: Hæc
 erant præcipua Senatorum populique
 lamenta adversus Jacobum Regem.